



DE UNICORNU. 53

tra ac id volebat *Plinius* l. 11. cap. 28. de *Scarabæis* : His negatus aculeus. Sed in quodam genere eorum grandi cornua prælonga , bifulcis dentata forcipibus in cacumine cum libuit ad morsum coeuntibus. Unicornis verò tanto censeatur rarior , quanto apud Auctores nostros magis ignoratur. Frequens tamen in *Illyricis* volat, & A. C. 1643. me præfente , in *Italia* , superiorique in hortis *Patriæ nostræ* quotidianum monuit me nunquam satis laudandus *Wormius* , ut ob rei visæ memoriam aliquot in selectissima *Technicotheca* sua reposuerit. In *Campania* *Salernum* inter & *Neapolim* peregrinantibus nobis occurrit ea facie , qua depinximus. Unicornem vocavi præter *Doctissimorum Aldrovandi* & *Imperati* sententiam , quibus nomine *Rhinocerotis* rectius fortasse venit depictus , licet insectis nares minus propriè assignentur , & huic *Scarabæo* Cornu à toto capite ortum videatur , quod radice amplitudinem superat. Iconem accuratè expressit *Ferrantes*